

**Nicolai Campidominici Clauarensis**  
**BVCOLICI CARMINIS**  
**ECLOGA**

Ποιμένες ἀγραυλοι, κάκ' ἐλέγχεα, γαστέρες οἶον,  
ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα,  
ἴδμεν δ', εὖτ' ἐθέλωμεν, ἀληθέα γηρύσασθαι.  
(Hes., *Th.*, 25-7)

Peruaga, bucolicae, modulemur carmina, Musae.  
Pastores duo erant, Amaryllis et Alphesiboeus,  
Doctus uterque leues calamis extollere cantus.  
Alter erat longa iam praeditus arte magister  
Candidus ac senior, dulci non fessus auena; 5  
Altera discipula et numeris experta canoris,  
Quam faceret forsán noua mox doctrina magistram.  
Ille olim nitidae prostratus in ilicis umbra  
Dum resonat liber uolucresque ad carmina clamat,  
Maestam uidit eam, ad seque hoc sermone uocauit: 10

**ALPHESIBOEVS**

Iam croceus sensim sol termen tendit ad imum  
Atque domum iuuenes redeunt nunc undique ab agris,  
Claudunt iam stabulum suaque instrumenta reponunt:  
Soli aliqui ueniunt, alius conquirít amantem,  
Sed plures - fateor - caros ueteresque parentes. 15  
Ridet quisque puer placide ridentque puellae,  
Me uero recubare iuuat Musisque sacrari.  
Sed tu, Amarylli, libros portans quo uadis, alumna?  
Quam si grammaticus laudabat, ego amplius orno:  
Orpheus non studio te uincit et arte poesis. 20  
Cur hac hora te linquentem sarcina pagum  
Magna grauat maestam? Via non haec ducit ad aedes!  
Credere uix possum hic te carmina quaerere uelle.  
Dic mihi, quaeso: malum tua tristia lumina monstrant.

## AMARYLLIS

Non equidem ista domum uia fert, sed quae mihi restat? 25  
Perpetuo abscedo. Sic est, dilecte magister:  
Arcadium linquo nostram (nec credo regressum)  
Atque aliam Aegaeum mare trans Nostrumque requiro:  
Vnde bonum ueniat mihi, quae sit libera tellus,  
Detur ubi fortasse licentia ubique docendi. 30  
Ascendam portu nauem alta nocte uolucrum,  
Postque dies paucos illic ego uiuere pergam.  
Tityrus - ille ibi habet uitam, panem, officiumque -  
Tityrus haec suadebat, ut a regione parate  
Deficerem misera rebus doctisque nouerca, 35  
Assequereturque illuc meliora petensque canensque.  
Namque peculium habent mater genitorque modestum  
Congestum pecudum cura segetesque colendo,  
Quo studiis fauere meis. Sic optima feci:  
Semper eos erga pectus gratissimum habebo. 40  
Sed iuuat atque necesse hoc tempore uiuere adultam  
Curarum atque operum sumentem alimenta meorum.  
Sordida sed studiis haec terra meisque tuisque  
Officit (Arcadia et si dicitur): illam ita quaero,  
Quae uacua impigro noua praebat arua colono, 45  
Qua possint mentes fugientes quaerere uitam  
Et laus ingenio detur mercesque merenti,  
Si quoque sunt auro - quae dicunt - flumina larga.

## ALPHESIBOEVUS

O Amarylli, tuo quae concipis aspera corde!  
Linquere quae genuit te terram, linquere matrem 50  
Quae docuit te cuncta et ubi est tua pristina radix!  
A patria quae te fugiendi causa repellit?

### AMARYLLIS

Otium inops quaestu: nam cum amplius edere nollem  
E manibus patriis, nonnulla negotia quaesi  
Vel maius studium. At si cetera munera rara, 55  
Nempe magisterium est, quia non dant carmina panem.

### ALPHESIBOEVS

Temptastine uel hic ut carmina dicere possis  
Et calami regulas iuuenes puerosque docere?

### AMARYLLIS

Sane, quid facerem? Iuuenes ut docta docerem  
Carmina certamen gessi ac sum denique uicta. 60  
Non me terribilis, non me Polyphemus ad istud  
- Ille scholae timor, ille malum, qui cuncta ministrat  
Vt sibi uult, statuens qui uincat quique recedat -  
Optabat, sumpsitque suos, posuitque Menalcan  
(Haec reticere nego). Nec mens huic defuit ulla: 65  
Hic perpeusus enim furias et dicta tyranni  
Assensu longo se carum perficit illi.  
Nunc - felix nimium! - uestigia iusta secutus,  
Ire uiam poterit famamque exquirere doctam,  
Dum sua uis maior patietur ut ipse gigantis 70  
Pessimus imperio subeat praesitque magistris,  
Atque suum longo regnum durabit in aeuo;  
Vt mos est: seruat sua crimina prisca potestas.  
Quam patria in tali, potius peregrina per urbes!

### ALPHESIBOEVS

Docta puella mea, ah quam sunt ueracia uerba! 75  
Quae tu perlegis a Polyphemo pauca putantur  
(Cum studio, quaecumque canis, sint carmina digna)

Et quoque si duce me te quondam laurea cinxit,  
 Sum senior quam qui possim bellare giganti,  
 Principibus pulsus ludisque remotus ab illis. 80  
 Iustitia haud opus est: Academice, uiue sine ulla!  
 Sed ueniet tempus, quo - spero - iniusta ruentur,  
 Occidet et Polyphemus et haec simul improba regna,  
 Et Virgo rediens homines decorabit honestos,  
 Si modo uos semper iuuenes altaria ad eius 85  
 Accedetis eamque uocabitis aequa secuti,  
 Quaesierit cum mos uos fraude ligare nefastus;  
 Aut, si forte nouae sint res a stirpe necesse,  
 Vstio sanabit mundi scelus alma uetusti.

### AMARYLLIS

Est, tamen interea profugi peragramus in orbe! 90  
 Ante niues poterunt Aetnaeam extinguere flammam,  
 Quam Arcadiam meritum tribuentem credere possim.  
 Sufficiunt mihi quae genitores aera dederunt,  
 Caseus et mecum tener est sapidumque moretum,  
 Sunt uires promptae, mens et uersatilis ardet. 95  
 Non tam prospere eunt comiti, si cogito, Amyntae,  
 Cui modus aptus adest uix illi et fratribus agri:  
 Nunc posuit calamos aegerque operatur in aere.  
 Sic proficiscor abhinc ut caelum mutem animumque,  
 A patria elusam dum sentio cara et acerba, 100  
 Dumque ea, quis ualeo, neglecta secunda putantur  
 Curas post alias et amicorum ambitiones.  
 An meliora mihi uentura atque ipsa magistra  
 Arcadiam rediens hic sim positura Penates,  
 Sunt ea nota deis: mihi nunc sit patria mundus. 105  
 Interea extremum deducas, quaeso, magister,  
 Carmen ut aegra uiae mea sollicitudo leuetur  
 Vtque canam noua dicta, nouam cum cepero terram.  
 Quaerit alumna abiens, summas ne sperne Camenas!

## ALPHESIBOEVS

O ueneranda Pales, mihi quali est ore canendum, 110  
Cum me longaeuum doctorem linquit alumna?  
Quae solet o utinam mihi adesset fabula dulcis!  
Nam tum te caneret, Galatea, Thalysiaque atque  
Daphindos Hyblaeas melici chelys enthea Musas;  
Te, Pan, alloquerer, si carmina ficta uenirent. 115  
Sed nunc uera mouent ad cantum pectus et ista  
Tristia grata magis quam uana silentia sume.  
Contexamus: adhuc pastoris dicere uerum est.  
Arcades, o Amarylli, fugis sed et aspice quanto  
Apta lyrae quondam nunc personet insula luctu 120  
Ob profugos Asiam permensos monte marique;  
Quam multi effugium conentur in aequoris undas  
E Libya, cui sol fortissimus urit harenas.  
Non ibi sol ardet modo sed tres agmina pugnant  
Imperium sibi; et is qui terras incolat illas 125  
Quid faceret nisi nocte pericla dieque timere  
Ac surrecturum se uix sperare cubili?  
Inter eos Memnon erat, ut nos pastor et ille.  
Saepius audierat mare trans emergere terram  
Exulibus matrem, ditem, famaue beatam, 130  
Ostiaque Europae quae cunctis pandere posset.  
Est fuga pacta illuc, reliquis tunc anteferenda.  
Ad portum ille uenit cum nato uxoreque bulgaque  
In qua tenuia erant et opes et Fata Laresque,  
Atque uident nauem populum complere uetustam 135  
Cuique color niueus longo cineraceus usu  
Factus erat. Nomen "Taurum" uix prora docebat,  
Vnde rudens pendebat apexque exstabat opacus.  
Accepto aere, rati hos inigunt ridentque scaphistae,  
Haud aliter quam cum rapuit Iouis impia uirtus 140  
Sidonidis stuprum ad grave somnia spemque puellae,  
Quae bene candori credebat fidere posse.  
Soluitur et nauis discedit litore sensim,  
Itque per obscurum: non aethere Luna nec astra  
Fulgebant uacuo noctemque silentia habebant. 145  
Tempore post longo mediique per aequora ponti

Memnonis optabat somnum puer, illeque coepit:  
 'Fessa leaena cubat cum pullo agnusque capellis  
 Cumque capris haedus: tu mecum, paruule, dormi!  
 Te de sideribus uigilans deus aspicit almus!' 150  
 Sed tamen ille deus non sat despexit in imum.  
 Trinacriae simul atque illis sunt litora creta,  
 Assurgit strepitus festinaque gaudia crescunt:  
 Ad signum funale aliquis leuat, at cadit. Ardet  
 Ligna pars nauis, dein remigia, en prope tota. 155  
 Turba gemens ululat: uox nocte leuatur et ignis.  
 Dum ratis exardet, dubitant pauitantque scaphistae:  
 Pessimus inter eos 'Opus est confidere' dixit,  
 'O comites, lintri, uultis si uiuere; et istos  
 Iam cum naue simul mergat mare testis iniquus!' 160  
 Vt placuit, celeri freta per tenebrosa uehuntur  
 Lintre, latus clauo dum torto flectere laeuum  
 Incipit et totum mersare phaselus in aequor.  
 Ast aliis, cum se sorti sensere relictos,  
 Terror init, currunt - labat ardens nauis ad undas - 165  
 Quaeritur effugium: nisi pontus non datur ullum.  
 Complexus puerum uxoremque illabitur aestu  
 Turbido, et immundus quem naphta infecerat atrum,  
 Memnon atque natat, nauis dum mergitur, aegre.  
 Vix elapsum ab aquis ratis altera missa Sicanis 170  
 Subsidio accepit. Sub lucem uenit ad oram  
 Corpora multa ubi erant uicinaque mortua uiuis.  
 Inuenit uxorem lugentem in litore solam  
 Veste sine et sine rebus et ei tacita omnia dixit.  
 Filiolum saeui pelagi conuoluerat unda: 175  
 Auia nunc tenet ora. Iacet sine nomine corpus.

### AMARYLLIS

O miseri! Fugitis quae tristia quosque dolores!  
 Nulla uiae formido tenet: tot pessima cogunt.  
 Linquimus ecce domum sed habemus et indiga rura  
 Quaerentes opera meliorem carpere uitam, 180  
 Vos fugitis patriam inuiti, peragrare coacti,

Mendicique domus, dum uita resurgere possit.  
 Miror enim! Populis firmum nihil annuit orbis!  
 Si migrare opus est, magis est adsciscere euntem,  
 Si qua manet sacri quoque cura Ioui hospitis alto. 185  
 Hanc Catilina negat solisque datam esse frequentat  
 Arcadium Arcadibus. Vae, perditae! Conspice primum  
 Cur iuuenes fugiant, nonne ad te culpa recurrat:  
 Aduena non laedit sed uos qui damna cietis  
 Pro uobis contra consortia, falsa creantes. 190  
 Aspice dein Libyam, Catilina: ob id arua relinquunt,  
 Viuere quod nequeunt quo uitam degere uellent.  
 Huc uenias, Memnon! Ingentia rura serenda  
 Sunt et oues multi, pascenda armenta gregesque,  
 Vineae iam rutilat grauidis onerata racemis 195  
 Melleaque intorta pubescit in arbore oliua.  
 Hic labor est tibi, non mihi: terram hanc consere nobis  
 (Ars alia est mihi, qua ipsa seram noua praedia felix),  
 Aequa salaria erunt et pax tibi denique dulcis.

### ALPHESIBOEVUS

Sunt ita quae dicis, sed credo Memnona uelle, 200  
 Si ueniat Libyae pax quondam et copia rerum,  
 Si pecus affluat et nascatur arista ab harena,  
 Velle redire domum felicem denique messe:  
 Tantus amor patriae, quae uidit prima puellum!  
 Tu quoque et in somnis tua flumina nonne uidebis? 205  
 Vt Memnon uidet alnum ignota ab origine Nilum,  
 Sic fugere Alpheon Siculam spectabis ad undam.  
 Semper habe Arcadium cordi reditumque repende:  
 Si ratio abducit te, amor huc te forte uocabit!  
 Vt memorant, Epaminondas cum struxerat altae 210  
 Moenia Messenes noua, Dores undique iactos  
 Tum rediisse patrumque decus reparasse domusque,  
 Sic quoque uos, melius patriae spirantibus auris,  
 Currite ad Arcadium uobis modo restituendam,  
 Quos fuga nunc cogit, tunc proderit. O Amarylli, 215  
 Magna eris et tu pars si grata ac corde manebis

Iuncta tuae patriae: meliorem hanc trade nepoti.

### AMARYLLIS

Dulcia tota, senex, ueniunt quae dicis ad aures.  
Sed quoque si longe, numquam reditura, manebo,  
Quae conuicia sint mihi? Cur? Et maxima mundi 220  
Roma magistra habuit profugos ab origine patres,  
Qui primum Etruscis se et coniunxere Latinis,  
Exinde Italicis, deinde omnibus Europaeis.  
Liberior nunc ire sinor, nunc uisere terram,  
Moribus atque aliis hominum componere nostros, 225  
Discere sermones, alios tum docta docere:  
Quo bene, ibi patria est humano nomine dignis;  
Sic alios noscens quid sim, quid patria discam.  
Cumque domus desiderio tenear magis, inde  
Me melius potero cognoscere et acta meorum 230  
Cum quibus est nexus: cernam quo degere malim.  
Carmine et interea solabor tristia cordis:  
Carmina enim possunt disiectas iungere gentes  
Et noua cum priscis simul et uicina remotis,  
Si doctrina eadem est et idem studium humanorum. 235

### ALPHESIBOEVS

Macte, puella, animo! Tu digna docere uideris!  
Quapropter baculum id nostrum precor accipe, ut ipse  
Ipsam habui quondam nostro donante magistro.  
Pars erat id ueteris sancto de stipite laurus,  
Quam prius Ascraeo dederant Helicone sub alto 240  
Ab Ioue progenies Musae domum Olympicam habentes.  
Sume, precor, te sustineat per longa uiarum,  
Tradeque, si inuenias aliquem isto munere dignum.  
En, dum sic loquimur, iam noctis deuenit umbra,  
Caelitus astra micant et lucent tecta lucernis. 245



## **AMARYLLIS**

Munus habebō tuum carum pergrata, magister,  
Semper ob omnia, quae docto te praeside noui.  
Iamque abeundi hora est: florentem conspicer olim  
Arcadium...Saluete domus, salueque magister!

## **ALPHOESIBOEVVS**

I felix, Amarylli: uias circumspecte uitae.

250

**Nicolò Campodonico**

Scuola Normale Superiore, Pisa

[nicolo.campodonico@sns.it](mailto:nicolo.campodonico@sns.it)